Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36489
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Eodem tempore fuit Iesus sapiens uir, si tamen eum uirum oportet
dicere. Erat enim mirabilium patrator operum et doctor eorum qui
libenter uera suscipiunt. Plurimos quoque tam de iudeis quam de gentibus
sui habuit sectatores et credebatur esse Christus. Cumque inuidia nostrorum prin
cipum cruci eum Pylatus addixisset, nihilominus qui primum dilexerant
perseuerauerunt. Apparuit enim eis tercia die uiuens. Multa hec et
alia mirabilia carminibus prophetarum de eo uaticinantibus usque hodie
christianorum gens ab hoc sortita uocabulum non deficit. XIIII

IVSTVS Tyberiensis de prouincia galilee conatus est et ipse iu
daicarum rerum historiam texere et quedam commentariolos de scriptu
ris. Sed hunc Iosephus arguit mendacii. Constat autem illum eo tempore
scripsisse quo Iosephus. XV

CLEMENS. De quo apostolus Paulus ad philippenses scribens ait:
Cum Clemente et ceteris cooperatoribus meis quorum nomina scrip
ta sunt in libro uite, quartus post Petrum rome episcopus. Siquidem secundus Linus
fuit, tercius Anacletus, tametsi plerique latinorum secundum post apostolum pu
tent fuisse Clementem. Scripsit ex persona romane ecclesie ad ecclesiam
corinthiorum ualde utilem epistolam, et que in nonnullis locis etiam publice
legitur, que mihi uidetur caracteri epistole que ad hebreos fertur conuenire.
Sed et multis de eadem epistola non solum sensibus sed iuxta uerborum quoque ordi
nem abutitur, et omnino grandis in utraque similitudo est. Videtur et secunda
epistola eius nomine pertitulata que a ueteribus reprobatur, et disputatio
petri et appionis longo sermone conscripta quam Eusebius in tercio
ecclesiastice historie uolumine arguit nequaquam sub auctoritate
leguntur. Obiit per martyrium tercio Traiani anno, et nominis eius
memoriam usque hodie rome exstructa ecclesia custodit. XVI

IGNATIVS. Antiocene ecclesie post Petrum apostolum episcopus, persecutionem
commouente Traiano dampnatus ad bestias romam uinctus mit
titur. Cumque nauigans ad smurnam uenisset, ubi Policarpus audi
tor Iohannis episcopus erat, scripsit unam epistolam ad ephesios, alteram ad
magnesianos, terciam ad trallenses, quartam ad romanos, et inde
regrediens scripsit ad filadefilos et ad Zmurneos, et proprie